

tum egisse arbitrabantur, propter stultorum insipientiam: vt dicta sua non intelligerent, nisi qui tali & tanto magisterio digni iudicarentur. Si quis ergo eorum dicta inuenerit, in illis diligenter studeat, donec ea recto modo intelligat. Non enim decet quenquam se ab hoc magisterio retrahere: sed debet suam fidem, & suam spem in Deo altissimo firmiter configere, & illum assidue hoc efflagitare, quatenus istud diuinum & admirabile opus possit perficere. Similiter Deum omnipotentem, & eius auxilium implorare, vt cum Deus ad res meliores pulchriori modo cōuertat, & faciat illum huius magisterij scientiam super lineam rectam absque omni deuiatione fœliciter adipisci. Tunc Rex ait: iam si libet, ô Moriene, hæc dicta, atq; mandata dici sufficiant. Ego enim intellecta consequor, & intellecta pro virili obseruabo: & maximè quum tu senex & sapiens, hoc magisterium mihi edocere non negligas. Explana igitur mihi hoc quod diu exopto, explanatione facillima: ne eius studij grauitas in hac re me diu confundat. In primis igitur ab eius exordio mihi iam edisseras, & dicas, vt omnis ordo præposterus procul à nostra disputatione abiiciatur. Ad hæc Morienus respondit: Rem quidem ex ordine digestam tibi declarabo. Tu verò ea quæ velis nunc inquirere non differas.

### INCIPIUNT INTERROGATIONES

*Regis Calid, & responsiones Morieni, de quibus artificium magisterij Hermetis constare comprobatur.*

**C**ALID Rex, ô Moriene, primùm quærere libet, quæ & qualis sit huiusmodi rei principalis substantia & materia: & vtrum multæ aut plures sint: aut ex vna tantummodò conficiatur. **MORIENVS:** Omnis autem res, vsq; dum per suum effectum dignoscatur, multorum testimonio verior comprobatur. Sed antequam antiquiora testimonia tibi ad præiens adducam, hoc quidem quod nos de eius principali substantia & materia sæpe comprobauimus, explicabo. Si autem ea quæ tibi dixero, & testimonia antiquorum rectè inspe-

inspe-